



# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Svmmvla Caietani**

**Cajetan, Thomas**

**Antverpiae, 1575**

Tristitia de alterius bono vel prosperitate damnabilis est, & propriè vocatur  
nemesi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41716**

428 Negligentia.

peccatum est mortale: ut potest contra charitatem, quia  
& nos & proximos sicut nos diligere tenemur. Iudici-  
tamen secundum iustitiae ordinem sicut licet occide-  
re, ita licet mutilare malefactorem.

*V*sus necromantiae quo dæmonis inuoca-  
tur auxilium, omnino prohibitus est.

**N**ecromantia (qua diuinatur per mortuos, seu  
mortuorum personas agentes dæmones) ut pe-  
tente Saule rege mulier suscitauit Samuelem con-  
lendum de bello Philistinorum, peccatum est magnū  
valde. ut potest ad inuocationem dæmonum recurrēs.  
Inchoant siquidem tales hic societatem quam perpe-  
tud habituri sunt cum dæmonibus.

*Solicitudinem salutis contemnens, pec-  
catum incurrit gratissimum.*

**N**egligentia, qua homo deficit à solicitudine de-  
biti operis intus vel extrā, peccatum est: quia re-  
cte rationi dissonat. Est autem mortale peccatum  
dupliciter. Vel ex opere debito de necessitate salutis,  
vel ex cōtemptu, nam si quis ex cōceptu divini amo-  
ris negligit, aut negligit illud ad quod de necessitate  
salutis tenetur, manifestè incurrit mortale peccatum.  
Extra hos autem casus venialis est negligentia.

*Tristitia de alterius bono vel proffe-  
ritate damnabilis est, et propriè  
vocatur nemesis.*

**N**emesis (hoc est tristitia quam homo habet de  
alieno bono temporali, quia ille habens tale bo-  
num est indignus tali bono: ut quum quis tristatur  
quia homo malus habet diuitias, est bene fortuna-  
tus, omnia illi succedunt ad votum &c.) peccatum est,  
pro quanto diuinæ prouidentiae actionē arguit tan-  
quam

## Notariorum peccata. 429

quam iniuste distribuentem bona temporalia . Et propterea si ad huiusmodi detestationem extenditur tristitia haec, proculdubio peccatum est mortale. Et similiter si tristitia haec ita afficit, ut ducat hominem ad imitandum malos, ut prosperetur mortale peccatum est: ut patet . Supposita aut debita reverentia ad diuinæ prouidentiæ distributionem tristari aliquatenus de temporalibus bonis indignorum, nullum apparet peccatum ex propria ratione, sed esse licitum, sicut tristari de monstris. De his vide commentaria in secunda secundæ, si profundè vis perscrutari.

*Notarius potest suum officium exercendo diuersimodè peccare.*

**N**otariorum peccata peculiares sunt, in primis per iurium, si iuramentum quod fecerunt non seruat: deinde falsum confidere instrumentum in toto vel in particula quacunq; aut de actu reprobato, aut quomodo liber alias illicitum, occultare quoque instrumenta seu protocola, aut lacerare. Horum enim quædam sunt manifestè crimina maxima. Nullum tamen scio excusare à peccato mortali: nisi forte deceptus quis ficeret instrumentum illicitum, credens esse licitum, tunc enim iuxta ignorantiae excusantis regulas iudicandus esset in foro conscientiæ: & cum illo saligtando, quod modicum pro nihilo reputatur.

**N**uptiarum peccata duo sunt. Primum, si fiat tempore interdicto, hoc est principio aduentus usque ad Epiphaniam & à Septuagesima usq; ad octauas Paschæ, & à tribus diebus Rogationis qui sunt ante Ascensionem usque ad Pentecosten: hoc est totam hebdomadam Pentecostes. Hæc tempora sunt certa. De octaua vero Epiphaniæ, & de die octauæ Pentecostes ferua Ambrosii documentum: ut scilicet conformes te Ecclesiæ in qua es, consuetudini, ut

*Dña omnium*